



Commentarii Tres in Universam Aristotelis Philosophiam

Commentarius Tertius In Libros De Coelo; De Generatione Et Corruptione;
De Anima; Et Metaphysicam Aristotelis

Crespin, François

Brvxellæ, 1652

Dubium I. An dari possit maximum ? minimum substantiæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95375](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95375)

non? si non, ergo prius fuit una pars ultimò ad illam disposita, quam alia; ac proinde finè omni forma substantiali: non enim habet tunc veterem, quia ultimò disposita ad novam; nec etiam habet novam, quia hæc pars materia est minor, quam sit illa materia certæ magnitudinis, quam exigit ad primam sui introductionem, ita ut in minorem introduci non possit; hanc autem sequelam contra nos lib. 1^o. Physic. admitti posse negant: si fuit tota simul disposita, ergo agentia naturalia agunt uniformiter & æqualiter per aliquot partes materie divisibiles indivisibiliter sumptas, & non necessariò fortius ac citius in prima divisibili indivisibiliter sumptâ, quam in secunda, ut contendimus.

III. Objicies 2^o. motus localis non fit in instanti, id est, in parte temporis divisibili indivisibiliter sumpta; ergo nec accretio & nutritio: Probatur consequentia, non potest esse acquisitio majoris qualitatis, quin simul sit acquisitio majoris loci, ergo, &c.

III. Respondeo negando consequentiam, ad ejus probationem distinguo; non potest esse acquisitio majoris qualitatis, quin simul sit acquisitio majoris loci ipsius totius, ratione partium de novo acquiratarum, concedo; quin simul sit acquisitio majoris loci partium præcedentium, ratione sui, nego; quia illæ in rigore non acquirunt majorem locum, sed ipsum totum, ut ex his & superadditis partibus conflatum est.

RESOLUTIO IV.

LIV. Dico 4^o. accretio & nutritio quoad plures partes determinatas divisibiles divisibiliter sumptas, non fit continuè successivè, sed interruptè, & cum morulis ita præter supra citatos D. Fromondus lib. 2^o. de Anima cap. 5^o. art. 3^o. ubi sic scribit: Breviter Aristoteli & S. Thome assentimur nutritionem, nempe & accretionem multis in-

tervallis interrumpi solere, &c.

LV. Probatur 1^o, quòd quoad dictas partes fiat interruptè: alteratio quoad plures partes determinatas divisibiles divisibiliter sumptas non fit continuè successivè, sed interruptè, & cum morulis, (ut patet ex Resolut. 2^a); ergo & accretio ac nutritio. Probatur consequentia, quia hæc alteratio ordinatur ex natura sua ad hanc accretionem & nutritionem.

LVI. Confirmatur, quia producta tota dispositione ad formam in parte sufficienti materie, introducit in eam forma, & non in alias partes; quia non sunt ad eam ultimò dispositæ, ergo necessariò fit interruptio productionis formæ, ut interim cæteræ partes disponantur, ac proinde accretio quoad dictas partes fit interruptè.

LVII. Probatur 2^o quòd quoad dictas partes fiat successivè, & cum morulis, quòd solum restat probandum: agentia naturalia agunt uniformiter difformiter, citius & intensius in parte proximiori, sensu dato, quam in remotiori, & ordinariè loquendo, in materia alimenti sunt plures partes, quam ut vivens possit per omnes uniformiter tantum & æqualiter agere, ergo, &c.

LVIII. Confirmatur ex Aristotele 3^o Physic. cap. 1^o. textu 1^o, ubi cum dixisset, motum Physicum esse de genere successivorum, textu 6^o enumerat expressè accretionem, sumptam scilicet quoad plures partes determinatas divisibiles divisibiliter sumptas, & potius ut totalem, quam partialem, ergo, &c.

LIX. Adde 1^o. in homine & simili composito, partim spiritali, & partim materiali, idem dicendum de productione unionis, sive generationis, ut unionis, quòd hic & Resol. præced. de forma viventis, diximus.

LX. Adde 2^o. continuationem formæ novæ ad formam veterem, & materie alimenti ad materiam aliti sequi naturam ipsius accretionis, ut patet.

DISPUTATIO SEPTIMA

De Maximo & Minimo.

I. Hæc Disputatio communis est, tam minimo substantiæ, quam qualitatis; sed priusquam ad dubia descendamus.

II. Adverte 2^o. à Philosophis duos rei terminos distinguere; unum intrinsecum, quem etiam, maximum vel minimum quod sic appellant, & extrinsecum, quem etiam maximum vel minimum quod non appellant.

III. Intrinsecus est, ad quem res, sive in magnitudine, sive in parvitate pertingere potest, sed non ultra; sic quinque pedes (posito quòd homo naturaliter, ultra ascendere non possit) sunt terminus intrinsecus naturalis magnitudinis hominis; semipes verò (supposito quòd homo infra descendere non possit) est terminus intrinsecus naturalis parvitatibus hominis.

IV. Extrinsecus est, ad quem res non potest quoad magnitudinem ascendere, & quoad parvitatem descendere.

V. Adverte 2^o. allatas definitiones maxime esse

R. P. Francisci Bone Spei Physici

terminorum substantiæ; non verò qualitatis, quorum intrinsecus est qui oritur ex natura qualitatis illius exigentis; extrinsecus, qui à causis extrinsecis.

DUBIUM I.

An dari possit maximum & minimum substantiæ.

Ante Resolutionem
VI. Adverte 1^o. dubium etiam intelligi de quantitate, quia realiter est substantia secundum nos; secundum alios, quos in Logica refutavimus, substantiæ coæva proprietatis.

VII. Adverte 2^o. dubium tam procedere de non viventibus, quam de viventibus.

VIII. Adverte 3^o. statum communem rerum, qui passim connaturalis dicitur, non tam considerari ex rebus ipsis secundum suas naturas, quam secundum suum ordinem, quem habent ad concursum

D d

Dei

Dei ordinarium, & modum operandi causarum naturalium, quæ pro illo tempore sunt; nam quoddam homo jam vivat naturaliter ultra centesimum aut centesimum decimum annum, id non habet ex natura sua; alioqui Adam, Abraham, & alii multi olim contra & supra naturam, ferè mille annis vixissent, quod non est dicendum.

ix. Advèrte 4^o. dubium procedere de rebus juxta statum communem & connaturalem: nam non est cur secundum Dei omnipotentiam & concursus ejus extraordinarium ulla substantia, vel qualitas, dicatur habere terminos magnitudinis, aut parvitas, ultra quos, nec crescere, nec decre- scere possit. His præmissis, sit

R E S O L U T I O I.

x. **D**ico 1^o. viventia secundum statum rerum communem & præsentem habent terminos intrinsecos & extrinsecos magnitudinis & parvitas in accretione & decrectione.

xi. Probatur prima pars 1^o ex Aristotele 1^o Physic. cap. 4. text. 16^o. & 2^o. de Anima cap. 4. text. 41^o. ubi eam expressè docet.

xii. Probatur 2^o, quia alioqui corpus posset tandem fieri infinitæ magnitudinis, & consequenter capite ferè infinitè distans à stomacho; quo casu homo non posset nutrirî; quia requireretur ferè infinitum tempus ad trajectionem alimenti ore ad stomachum, ergo, &c.

xiii. Probatur 3^o experientia: primi parentes, qui ferè ad mille annos vitam protraxerunt, non fuerunt, secundum quod legitur, majores nobis, ac proinde non semper accreverunt in magnitudine, nec nos, quantum experimur, ultra vigesimum quintum annum in magnitudine crescimus, & si impinguescamus, sæpe contingit nos nimia pinguedine suffocari, ergo, &c.

xiv. Confirmatur, viventia accrescunt per nutritionem; sed in illis potentia nutritiva est finita, & ejus instrumenta v. g. calor naturalis, &c. paulatim minuuntur & debilitantur, ergo & ipsum vivens.

xv. Probatur secunda pars; quia formæ vitales requirunt corpus organicum, quod debet esse certæ magnitudinis, & tale, in quo anima operationes sibi proprias commodè exercere possit; sed eas exercere non potest in qualibet parvitate corporis; unde experimur plantas, animalia, &c. non nisi generari in certa magnitudine seminis, embrionis, &c. ergo, &c.

xvi. Objicies tamen, inventi sunt gigantes magnitudinis super communem hominum statum; ergo, vel species humana non habet terminum magnitudinis, vel aliqui hominum eam excedere possunt, quod est absurdum, ergo, &c.

xvii. Respondeo distinguendo consequens quoad primam partem, ergo species humana non habet terminum accretionis consistentem in indivisibili & omnibus communem, concedo consequentiam; diversum pro diversitate causarum concurrentium, tam internarum, ut sunt calor naturalis, temperamentum, cujusq; &c. quam externarum, ut sunt cibi, Cælum, parentes, &c. nego consequentiam; in gigantibus autem aliæ & fortiores sunt causæ internæ & externæ.

R E S O L U T I O II.

xviii. **D**ico 2^o, non viventia, inter quæ comprehendens vinum, adipem, oleum, tam ex olivis, quam cætis, anguillis, &c. pro statu separationis à vivente totali; non videntur connaturaliter habere ex parte sua, aut causæ accrementum dantis, terminos intrinsecos & extrinsecos magnitudinis, præter mundum, ultra quos naturaliter excrecere non possint. Ita Scotus in 2^{um} distinct. 2. quæst. 9. quem, præter suos, sequuntur Recentiores, exceptis Thomistis plerisque, & nominatim Patribus nostris Complutensibus Physic. Disp. 27. Cajet. Ianduno, Nazario, &c.

xix. Probatur, non apparet, cur alter Oceanus, si daretur, non posset naturaliter cum hoc continuari, aut ignis per subministrationem novi & novi ligni in infinitum, naturaliter augeri; imò alioqui non posset maximus ignis stupam naturaliter comburere, quod est absurdum, ergo, &c.

xx. Nec dicas primò potentiam combustivam ignis per continuam actionem minui & debilitari, non secus ac minuitur & debilitatur potentia nutritiva in homine per continuam nutritionem; nam disparitas est, quod scilicet casu dato, cum augmento ignis augeatur continuò potentia combustiva; in homine verò, sicut non continuò augetur, ita nec ejus potentia nutritiva.

xxi. Nec dicas 2^o ex Patribus nostris Complutensibus, ignem illum majorem maximo non futurum in statu debitæ dispositionis, vel conservationis, sed in statu corruptionis, & viæ ad interitum, de quo procedit resolutio. Contra enim est, quod sicut multiplicatio individuum facit ad conservationem speciei, & non ad destructionem; ita augmentatio hujus ignis v. g. facit ad conservationem, & non ad destructionem hujus individui; & certè augmentatio illa, non tollit qualitates ignis conservativas, sed auget.

xxii. Nec dicas 3^o cum Patribus nostris Complutensibus ex Cajetan. & Nazario. item cum Patre Arriaga, stupam quidem ab igne maximo comburendam, non tamen continuandam, cum altero igne, eò quod hic non possit crescere; nam cum stupam ante combustionem supponatur ab altero igne indistans, & alterum ignem stupam per suam combustionem reddere ejusdem secum temperiei, hoc ipsò quod combusta est, continuatur cum altero igne; quia, ut supra diximus, continuatio alii & alimenti nihil aliud est, quam ipsum alitum & alimentum, ut connotantia indistantiam ab invicem, & similem dispositionem temperiem.

xxiii. Adde tamen illa non viventia impediri ne infinitè crescant, vel defectu materiæ aptæ ad introductionem suæ formæ, vel defectu loci; nam ultra mundum excrecere non possunt, qui tamen finitus est, ac proinde ex parte illorum habent terminum magnitudinis determinatum secundum præsentem statum.

RESOLUTIO III.

xxiv. **D**ico 3^o. non viventia habent terminos extrinsecos & intrinsecos parvitatibus connaturaliter & secundum præsentem statum. ita PP. nostri Complutenses contra Scotum & alios Resol. 2^a citatos. Probatur, quia continuum, in infinitum à nobis dividi non potest, & ignis valde parvus citò extinguitur, ergo non viventia habent terminos extrinsecos & intrinsecos parvitatibus connaturaliter & secundum præsentem statum; si-
ve id proveniat ex natura ipsorum, si-ve ab agentibus contrariis.

xxv. Dices, quando producit non vivens nihil potest ejus assignari, tam parvum, quin aliquid minus antea fuerit productum, scilicet indivisibile aliquod in fluxu; ergo in non viventibus, non datur terminus parvitatibus connaturaliter.

xxvi. Respondeo negando antecedens, nam licet non viventia sic à Deo produci possint, ut in fluxu sint indivisibilia naturalia, id est, semper præsupponant partes prius & prius productas; ab agentibus tamen naturalibus non possunt; quia hæc non agunt, nisi in certa magnitudine; nec certè satis intelligi potest, quid sint illa indivisibilia in fluxu, & cur fluxum interrompendo non possint esse in actu indivisibilia, & naturaliter talia existere, quæ admitti non debent; & si admitterentur citò perirent, ob agentium circumstantium contrarietatem.

D V B I V M II.

an detur maximum & minimum qualitatis.

RESOLUTIO I.

xxvii. **D**ico 1^o. non datur per se juxta præsentem statum terminus intrinsecus & extrinsecus, præter mundum, magnitudinis qualitatis in extensione.

xxviii. Probatur, non datur talis terminus substantiæ non viventis, ergo nec qualitatum in illa existentium; consequentia tenet à pari; antecedens patet ex Dubio 1^o.

RESOLUTIO II.

xxix. **D**ico 2^o. juxta præsentem rerum statum datur terminus parvitatibus qualitatis in extensione, extrinsecus, & intrinsecus.

xxx. Probatur prima pars, quia agentia naturalia non agunt, nisi ad certam magnitudinem (unde communiter supponitur dari minima Physica, quod patet ex Disp. præced.) sed ab agentibus naturalibus sumitur terminus extrinsecus effectus, ac proinde qualitatis, ergo, &c.

xxxi. Probatur secunda pars, si non daretur terminus intrinsecus parvitatibus qualitatis in extensione, nec etiam daretur terminus extrinsecus sphaeræ activitatis agentium naturalium; nam quolibet minimo qualitatis dato, illud posset agere in passum propinquum, imò etiam ejus pars & hujus partis pars, & sic in infinitum, quod non admittitur, ergo, &c.

RESOLUTIO III.

xxxii. **D**ico 3^o. juxta præsentem statum datur terminus magnitudinis qualitatis in intentione, extrinsecus, non verò intrinsecus.

xxxiii. Probatur prima pars; quia ejus causa naturalis habet determinatam virtutem ad tantam intensiorem, & non ad majorem, ut patet in igne, aqua, &c. sed à causa petitur terminus extrinsecus, ergo, &c.

xxxiv. Probatur secunda pars; quia non est, cur ex natura sua qualitas quælibet non possit magis, ac magis intendi; licet naturaliter, defectu causæ naturalis nunquam plus intendatur, ergo, &c.

xxxv. Objicies ex Patre Oviedo de Generat. Cont. 4. puncto 3^o. qualitas, ut sit dispositio ad formam, debet esse in tanta intensiōe & non in majori; sed sunt qualitates, quæ sunt ex natura sua dispositiones ad formam, ergo, &c.

xxxvi. Respondeo distinguendo minorem; sed sunt qualitates, quæ naturā suā sunt dispositiones aptitudinales ad formam, concedo minorem; actuales, nego minorem; calor enim v. g. ex natura sua, aptus quidem est esse dispositio ad formam ignis, & sic de aliis; nihil tamen fit contra naturam ipsius, si conservetur extra ignem, & non sit dispositio actualis ad formam ignis, eo autem casu non habet terminum intrinsecum magnitudinis; quia (ut paulò infra fatetur Pater Oviedus) qualitates, quæ non sunt dispositiones ad formam, ut v. g. lux, talem terminum non habent.

RESOLUTIO IV.

xxxvii. **D**ico 4^o. juxta præsentem rei statum datur terminus parvitatibus qualitatis in intentione, extrinsecus & intrinsecus.

xxxviii. Probatur prima & secunda pars, quia datur in extensione, ergo & in intentione; consequentia tenet à pari ob eandem utriusque rationem.

xxxix. Probant nonnulli alii, esse est propter operari, sed qualitas non potest operari in qualibet parvitate, ergo, &c. Verum hoc nihil probat, quia nec esse est propter operari seorsim ab aliis coagentibus, sed simul cum illis; nam potentia viviva habet esse sine speciebus, & sic de aliis; sine illis tamen operari non potest; bene cum illis: unde sufficiet, quod minima pars, cum aliis conjunctim, operari possit, licet seorsim non posset: deinde materia est propter formam, essentia propter proprietates ut octo intensas, &c. potest tamen materia sine forma, essentia sine proprietatibus ut octo intensis existere naturaliter: denique, si esse sit propter operari seorsim ab aliis partibus, assignare non poterunt terminum sphaeræ activitatis qualitatum; nam ille maximè esset ultima pars, tam parva ut naturaliter agere non posset, quam non agnoscunt.

xl. Objicies cum P. Arriaga (quod est etiam fere fundamentum P. Oviedi hic) Disput. 3^a. de Generat. num. 88. dum materia paulatim ad ignem disponitur, antequam producatur ultimum indivisibile caloris, datur jam in illo passo primum indivisibile frigoris; ergo frigus potest existere in